



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 11. Convictus Esterensis & Estecense Collegium dissolvuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

honore ageretur, ipse jam tum integritatis afferendæ votum conceperit, & Octavam ejus, ut vocant, ritè celebrandæ solemnitate conscripserit. Eo die, quo defunctus est, uni è Sociis, in Itatinensi ditione ducentis leucis distante, visendum se præbuit, gloriâ & cœlesti lumine circumseptum, cum hac voce. *Mane cum Deo, frater, nam ego ad Cælos evolo.* Socius ostento adpergefactus, narravit domesticis, quid sibi contigisset, notatoque die & horâ, observatum in id temporis incidisse, quo à Barbaris trucidatus est. In eadem Itatinensi provincia pergebant Socii reformare nuper ædificata duo oppida, spem per litteras Provinciali dantes, si copia Sociorum non deesset, fore ut alia duo construerentur. Sed res inter spei cancellos stetit.

**A**NNO hujus sæculi trigésimo - quinto, in Tucumanæ metropoli convictorium Cathedralis Ecclesiæ Collegium sub curâ Societatis esse desit. Canonici collatis secretò capitibus ad Regem Catholicum scripserant, convictores in eo Collegio Ecclesiæ Cathedrali panè inutiles esse; nusquam nisi diebus festis choro inservire, & alia hujusmodi. Quibus Rex Catholicus responderat, si Societas statutis Collegiorum ejusmodi Ecclesiarum se accommodare vellet, posse retinere convictus administrationem: id enim videri è Reip. bono. Sed Societas, introspecto novi Episcopi animo, multa præter Tridentini concilii statuta, & nostris moribus, necnon juventutis rectæ educationi obversantia, exigentis, dimissis convictoribus, juri suo cedens à multis se extricavit incommodis. Magistratus Ecclesiasticus non diu post facti poenitens, & urbis primores, apud Episcopum intercessere, scripto dictoque affirmantes, renunciationem hanc non fore è Reip. bono. Et Episcopus damnavit suam præcipationem in admittendâ cessione. Immobili ad hæc Societate, ex hujus convictus administratione lites oriri solitas abhorrente. Ferè sub id tempus Estecense Collegium dissolutum est: eo quòd Estecum, urbem modicam, pestis panè continua vastasset, & bona Sociorum, deficientibus servitiis, periissent.

**O**B recens rescriptum Præpositi Generalis, jubentis omnes Tucumanæ Indorum pagos semel saltem in anno ab nostris adiri, ex plerisque Collegiis Apostolici excursores magnam fecere animarum messem. Ipse Provincialis præibat exemplo, qui è portu Boni-aëris per planitiem centum & viginti leucarum iter molitus, vagabundorum Indorum turmas ad capeffendam fidem humanitatemque Guarano idiomate, majori conatu, quàm fructu animavit, plerorumque animis avorum suorum moribus pernicialiter imbutis. Ethnicus in desertis his locis erectam Crucem lapidare ausus, vociferans perniciosam aëris siccitatem ab eo, qui è Cruce pependerit, fuisse procuratam, Divinam Nemesim statim sensit, nam blasphemiam enormis grando statim excepit, & sacrilegum vociferatorem paulò post taurus discerpit. Didacus Boroa cum tribus Sociis Sacerdotibus pagos omnes Indorum inter Cordubam & Tucumanæ metropolim ex itinere expiavit, & continuato labore, Sancti Michaëlis, Saltensem & Riocensem tractum emensus, non contemnendos per immensa terrarum spatia manipulos animarum collegit. Inda mulier simplici, sed nullo modo imitandâ pietate, cognito, sacerdotem lascivizæ deditum ad aras facere, tanto horrore concussa est, ut ab sacrificii inspectione, deficiente altero sacerdote, toto semestri abstinere maluerit, quàm id monstri spectare, Putritatis scilicet dominum impuris manibus attrectari. Veneris puppus, quatuordecim annos sordes conscientiz occultans, desperatâ animæ salutè, suspensio vitam corporis abruptere decreverat: sed laqueum bis collo aprantem vox per aëtem delata absterruit, monens ab lethali vivendi fastidio liberum fore, si exhomologesim sincerè perageret: quâ peractâ, sædissimis moribus abjuratis, eorum se virtutibus tradidit.

**I**N Esterensi civitate senex, Veneris mancipium, contractâ ex nimia libidine lethali ægitudine, in mortis articulo dubium reliquit, num delirans peccata sua

Sacerdoti

Apparito.

CAPUT  
XI.  
Convictus  
Esterensis,  
& Estecense  
Collegium  
dissoluntur.

1635.

CAPUT  
XII.  
Didacus Boroa  
utiliter  
Provinciæ  
partem lu-  
strat.

Ethnicus  
blasphemus  
castigatur.

Luxuria  
horror.

CAPUT  
XIII.  
Gesta per  
Provinciæ  
Collegia  
narrantur.